



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dormi Secvre: Vel Cynosvra Professorvm Ac Stvdiosorvm  
Eloqventiæ,**

in qua Centvm Et Viginti Themata Oratoria. Non Solvm Stvdiosis, Sed &  
Professoribus eloquentiæ, ac pietatis veræ amantibus utilissima &  
pernecessaria explicantur ; Cum Indice rerum atq[ue] verborum locupleti

**Tympe, Matthäus**

**Coloniæ Agrippinæ, 1650**

X. Virtutis studium cum literis conjungendum esse.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38994**

36 . DE ACTIONIBUS THEATRALIB.

TERTIÒ, Augetur prudentia cognitione decori, cum animadvertisimus in œconomia adhibitum esse judicium, cum personæ cuiusque sermonem audimus, qui ad naturam, ingenium, mores illius omnino est adpositus.

QUARTÒ, Morum elegantia acquiritur, accuratè gestum agere, moderari manus, vultum, corpus totum ac vocem inflectere & variare conduncemur.

JUCUNDITATEM *inde probabis*, quòd ludos scenicos voluptatis ergò, & ad erigendam natu-  
ram strictamq; frontem repertos esse scribant ple-  
rique. Polybius auctor est, Arcades, quòd erant  
adeò austeri & duri, quòd civium animos mitiga-  
rent, ludos excitasse.

*In Refutatione dilues hanc objectionem:* Apud veteres probro datum est histrionicam facere. Dices enim id non fuisse mirum, cùm quòd argumen-  
ta priscarum Comœdiarum fuerint levia, litigiosa, nugatoria, impura, tūm quòd istæ actiones lenonum, meretricum, parasitorum, servorum callidorum, adolescentum asotorum personis fuerint infectæ: Dramata verò nostra illustres, graves, notas historias, & frequenter è S. litteris petitas continent, ac personæ sunt honestæ, sacrae, aut certè non spurcæ, ut nunc laudi sit omnibus agere.

PERORATIO gravem habebit adhortationem ad adolescentes, ut quando res feret, diligentem Actioni Scenicæ dent operam.

X. VIRTUTIS STUDIVM CVM  
literis conjungendum esse.

Middendor-  
pius lib. I. de  
officiis scho-  
last. c. 3.

EXORDIUM à nostrorum temporum deploratione  
ducetur, quod cum plurimi sint literarum cognitione imbuti, miserrimas tamen Reip. calamitates ab iisdem inferri videamus: cuius causam  
cam

eam potissimum esse affirmabis, quod nullam habeant virtutis & pietatis rationem.

**PROPOSITIO:** Te igitur probaturum, virtutis studium necessariò cum litteris esse jungen-dum.

**CONFIRMATIONIS I.** *Locus ab utili:* nam de Zenone Stoicorum principe narrat Laertius (*lib. 7.*) quod cum vitam verbis & doctrinæ con-sentaneam, velut exemplum, discipulis suis pro-ponenter, clarissimos viros efficerit. Et Quintilia-nus lib. 12. ait: *Longè facilius virum bonum persuade-re Auditoribus rem quamlibet, quam malum; quod ille, et si falsa & inhonestā fortè proponat, majore cum fide audiatur: hic verò sicut in vita, sic in causa etiam spes improbas habeat, verumq; dicens, frequenter fide careat, &c.* Et Lacedæmonii rem bonam, utilem q; sententiam per viros indoctos quidem, sed pro-bos, ferre malebant, quam per doctos & impro-bos, quod de honestari eam turpis authoris conta-gione putarent. Mera veritas M. Catonis, egere se multis rebus, nihil tamen cupere dicentis, plus (*teste Gellio lib. 13. cap. 12.*) ponderis habebat ad per-suadendam parsimoniam, & sustinendam ino-piam, quam Græcorum præstigiæ philosophari se dicentium, umbrasque verborum inanes fingen-tium, qui se nihil cupere dicebant, cum & haben-do, & egendo, & cupiendo arderent.

**II.** *Ab inutili contrarii, si quis litteris tinctus ne-gligat virtutem.* Homines enim indocti, & virtutis expertes, omnes tempestates & procellas ha-ctenus in Rep. Christiana excitatas concitârunt. *Id probabis variis Exemplis.* Simon Magus, cùm nonnullam haberet litterarum cognitionem, usq; eò se extulit, ut contra Christianæ religionis du-ces Apostolos, & homini liberam voluntatem eri-peret, & solam fidem percreparet. Paulus Samosa-tenus, & Apollinaris doctrinæ spiritu inflati, solam

38. VIRTUT. CUM LITT. ESSE CONJ.

Christi divinam naturam prædicabant, & insanis-  
simis mortibus Orientem perturbabant. Novatus  
ob doctrinæ existimationem superbus, Cornelio  
Pontifici sese opposuit, divinæ potentiae & Chri-  
smatis Sacra menta convulsus, & Orbem Christia-  
num in diversas factiones distraxit. Porphyrius Phi-  
losophus arrogans, cùm rerum cognitione se om-  
nibus mortalibus præstare arbitraretur, risit nefariè  
Apostolos, Christianæ religionis antesignanos  
& principes, illusit Evangelistarum monumentis,  
in ipsum deniq; Christum, plenus septicipiti be-  
stia, impuro ore vehebatur, atque eas suis ineptius  
atque nugis turbas dedit, quas longa vix omnino  
sæcula compresserunt. Arrius, gloriæ cupiditate  
inflammatus, & Dialecticæ loquacitatis non ex-  
pers, tantum ubique terrarum tumultum excita-  
vit, ut nec Constantini diligentia & cura, nec sacri  
Concilii Nicæni divina authoritate, nec ducen-  
torum aut trecentorum annorum spatio componi  
facile potuerit, *Hic per præteritionem Aerii, Mace-  
donii, Pelagii, Berengarii, & aliorum hereticorum,*  
*transfisis ad nostri temporis hereticos, qui quantum in-  
cendium, cùm in Germania, tum in Gallia, Britan-  
nia, Scotia, Livonia, aliisq; Europæ ditionibus ex-  
citaverint, in confesso est.*

III. *A necessario*: quia ab omni vitio, & turpitu-  
dine abstinere debet is, qui studet alios meliores  
reddere, & virtutes cum doctrina in animos alio-  
rum cum fructu aliquo, & gloria transfundere. Re-  
Hom. 3. in  
Act. Apost.  
Lib. 3. c. 10.  
2. de off. c.

cte enim S. Chrysostomus: Optimam, ait, doctrinam  
esse, vita docere. Qui autem docent tantum, ait Laetan-  
tius, & non faciunt, ipsi præceptis suis pondus detra-  
hant: quis enim obtemperaret, quando ipsi præceptores  
docent non obtemperare? S. Ambrosius hanc necessi-  
tatem docet his verbis: *Quis è turbida aqua potum  
petat? quis utilem causæ alienæ judicet, qui videt inuti-  
lem vitæ sua. An idoneum eum putabo qui mihi det con-  
silium*

filium, quod non dat sibi? mihi eum vacare credam, qui  
sibi non vacat? &c.

PROPOSITIO continebit adhortationem ad stu-  
diosos, ut virtutis studio diligenter incumbant.

### XI. LINGVÆ GRÆCÆ commendatio.

PRINCIPUM sumes à quorundam hujus temporis  
incredibili celeritate, quorum ratio tam cæcis  
ignorantia tenebris involuta jaceret, ut, et si mini-  
mè illi mali sint, magnoq; alioquin ad politioris  
litteraturæ studia promovenda amore rapi vide-  
antur, tamen nescio quo opinionis errore ducti,  
ad solidam & perfectam rerum pulcherrimarum  
cognitionem, sine Græcarum litterarum usu &  
peritia perveniri posse arbitrantur.

PROPOSITIO: Hanc igitur omnibus mansue-  
tiorum Musarum studiosis perniciosa opinionē  
tua qualicunq; oratione convellendam esse dices.

CONFIRMATIONIS I. LOCUS à necessitate.  
Usque è necessaria est huius linguae peritia,  
ut sine ea frustra quodammodo omnes laborum  
vigilias in doctissimorum virorum monumētis e-  
volvendis consumferis. Etenim cum omnium ar-  
tium parens Græcia semper extiterit, Latinumque  
sermonem non disciplinis modò, sed verbis etiam  
locupletārit, quidquid fere eximium in latinorum  
scriptis inveniri potest, id solum Græcis acceptum  
ferri debet, quod & ipse Romanæ eloquentiæ  
parens Cicero dissimulare nequit, qui nisi se ro-  
tum ad Græcorum imitationem contulisset, nun-  
quam ad tantam rerum cognitionem, dicendique  
facultatem pervenisset. Philosophia & artes libe-  
rales cum Græca habeant nomina, à Græcis esse  
profectas, quis ignorat? Sed & ipsa sacrarum litte-  
rarum arcana litteris Græcis continentur, earum-  
que interpres, vel Græci fuerunt, vel litteras